

Q.K.
45,
8.

II
1370

S C H E D I A S M A
D E
IRENAEI TESTIMONIO PRO PAEDO-
BAPTISMATE.

Q V O
VENERANDO PATRVO
V I R O
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO
ERNESTO FRIDERICO
WERNSDORFIO

THEOLOGIAE DOCTORI EIVSQVE IN ACADEMIA
WITTEBERGENSI PROFESSORI ORDINARIO
ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORO,
NIS THEOLOGORVM SENIORI ET h. t.
DECANO.


NVPTIAS AVSPICATISSIMAS
CVM
PRAENOBILISSIMA VIRGINE
GODELIA ELEONORA ELISABETHA
DE NITSH.

A. D. XXVI. FEBRVARII A. CCCLXXV.
ET FRATRIS D. GOTTLIB. WERNSDORFII
NOMINE ET SVO

PIE GRATVLATVR
CHRISTIANVS FRIDERICVS WERNSDORF

LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBÆRIA.





VIR MAGNIFICE
SVMME VENERABILIS
EXCELLENTISSIME
PATRVE PIE COLENDE.



Cum de propinquo **T**VARVM Nu-
ptiarum die audiissem et iam
dudum occasionem idoneam
TIBI meam erga **TE** pietatem meumque
animum demonstrandi mihi exoptauissem,
non dubitaui hoc laeto **TIBI** die in commu-
nionem **TVAE** laetitiae scriptiuncula quadam
venire: est enim haec **TVA** cum *ornatissima*
de Nitsch coniunctio ex vtraque parte no-
straefamiliae et mihi quoque periucunda;
neque vero meum de hac re gaudium man-
dare volui conducto poetae et in carmine alienos
pro meis offerre sensus, quod et si prae-
stantius ornatiusque expressisset laetitiam, tam

gratum tamen, opinor, TIBI haud futurum
fuisse, quam breuis quaedam commentatio
mea, etiam si eam non omnibus vitiis liberam
fore bene noueram; accessit, quod Frater
meus natu maximus, cum negotiis forensibus
et academicis impeditus, ipse non potuisset
scripto quodam has *Tyias* Nuptias celebrare,
me potius suorum quoque votorum esse voluit
interpretem. Quodnam vero potissimum
huic commentationi deligerem argumentum,
non multus mihi fuit delectus; cum enim
temporis angustiae nouam quandam mate-
riam illa cum diligentia elaborare nullo pacto
permitterent, eorum libellorum, quos inter-
dum priuatim conscripserant, quidam pro-
mendus et pro viribus retractandus erat: Et
quis tandem poterat videri dignior TE, *Vir*
Magnifice et Summe Venerande, quam hoc
de Irenaeo schediasma? tum quia eum, qui
nostrae Familiae communis videtur historiae
ecclesiasticae amor et veterum ecclesiae do-
ctorum studium TIBI potissimum inesse, eo-
que

que t e quam maxime delectari sciebam; tum
quod olim mihi in t v o musaeo de re, quam
continere dicitur hic Irenaei locus, t e cum
verba miscere et ex parte t v a m sententiam
cognoscere licuerat: Sed, quoniam negotia
publica Rectoratus et Decanatus theologici
aliaque plura tum impediebant, quo minus
t v a m sententiam accurate cognoscere pos-
sem; nunc in his t v i s Solemnibus, Pa-
true pie ac reuerenter colende, t i b i hoc
meum opusculum qualemque de Irenaei
quodam loco summisse ac decenter offero,
quod, vt pro t v o in me amore paterno at-
que benevolentia benigne accipias et meam
erga t e pietatem, cuius indicem id esse cu-
pio, ac reuerentiam inde agnoscas, obser-
vantissime rogo. Dabis vero etiam hoc pre-
cibus meis, vt t v a m emendatricem senten-
tiā, quam gratissimo animo, vti par est,
me accepturum esse spondeo, mecum bene-
vole communices. Ego vero, quod sum-
mum est in hac diei t v i celebritate, et

quod pietas officiumque iubet, adoro Sum-
mum Praepotensque Numen, ut felicissimas
has Nuptias esse iubeat, diuque differat tem-
poris illius ultimos fines, quos **T V**, *Vir*
Magnifice, cum *Optima TVA Coniuge* sum-
ma concordia et felicitate transfiges, Mihi
quidem, etiamsi procul a Saxoniae finibus
remoto, diu liceat esse tam felici, ut de
TV A Ornatisimaeque Tuæ Coniugis salute
ac prosperitate collaetari possim; hoc tamen,
vehementer rogo, addas meae laetitiae be-
neficium, *Vir Magnifice et Summe Reue-*
rende, ut **TVO**, et *Optimae TVAE Coniugis*
fauore ac benevolentia nullo tempore
non fruar, meque **TIBI** semper habeas
commendatissimum. Vale. Scribebam in
Academia Lipsiensi mense Februario A. R. S.

CCCLXXV.

IN





IN IRENAEVM CONTRA HAERESES.

Lib. II. Cap. xxii.

§. 1.

Historiae Ecclesiasticae usum etiam in rebus dogmatis qui neget, haut facile quispam erit: Licet enim, si quando accideret, ut patres cum Scripturis pugnarent, quod tamen in antiquissima historia vix eueniet, tum historiae testimonium contra Scripturarum autoritatem nihil valeret, nullo tamen modo negari poterit; historiam ecclesiasticam, Patrum maxime purissimae antiquitatis primorum seculorum testimonium, non esse parui momenti ad confirmandum dogma ex Scripturis iam ductum et firmatum: Hinc semper Ecclesiae Doctoribus id fuit curae, ut in omnibus doctrinae locis, saltem si forte de illis paulisper dubitaretur, consensum Ecclesiae demonstrarent; quae Doctorum de Patrum et historiae ecclesiasticae in rebus theologicis autoritate opinio celebrem illam litem, librosque de perpetuitate fidei genuit, nec non Gerhardi praestantissimum opus de consensu Ecclesiae orthodoxae.

a 4

§. 2.

§. 2. Itaque etiam locum *de baptismo infantum*, maxime cum ab Anabaptistis, argumentis tum ex ratione, tum ex Scripturis, tum ex historia petitis impugnaretur, auniſi ſunt, ex iisdem fontibus defendere; nec difficile erat plurimos post Sec. III. Patres ſuae ſententiae defenſorēs commemorare: poſtquam enim, vt non facile medium tenere ſolet humana imbecillitas, ex magna eaque iuſta erga ſacramen- tum baptismi reverentia et de eius utilitate ac praef- ſtantia perſuafione, praua illa opinio erat exorta, quaſi peccata poſt baptismum fuſceptum vel plane non vel diſſicilius remitterentur, ideoque homines baptismalem initiationem ſaepe diſſerent ad ultimos vitae dies, et in hunc errorem prauumque morem recte inueherentur eumque reprehenderent Eccleſiae Doctores; mox infantum baptismus commendaffe vi- dentur et ſic laudaffe, vt breui poſt in multis locis fere non niſi infantes baptizarentur, maxime poſteā- quam Cyprianus adeo in concilio decreuerat *infan- tes bapſizandos ante diem oblatum*; multis tamen in regionibus adultorum baptismus praeferebatur vsque in Sec. VI. Ne vero ipſis priorum ſeculorum deefflet autoritas, tandem locum aliquem Irenaei inuenientur, quem in ſuam rem trahi poſſe putarent, e libris con- tra Haereses Lib. II. cap. xxii. (Edit. Maſſuet.) quem ipſum nunc traçtare, et quantum ex eo probari po- fit, inuenigare conabimur; ac primum quidem to- tius loci nexum, eaque ipſa verba, quae in hanc rem laudantur, indicabimus, deinde vero paucis de eo commentabiimur.

§. 3. Disputat in loco nostro Irenaeus aduersus Valentinianos, haeresin quandam Gnosticorum, qui ſystema

systema emanationis, ut vocatur, stabiliebant, et triginta docebant esse Aeones in tria genera diuisos, quorum primum octo aeones, alterum decem tertium duodecim contineret. Sicuti vero numerum triginta aeonum per numerum annorum vitae Christi, antequam venerat ad baptismum, significari volebant, et hinc Christum anno XXX. baptizatum esse docebant; sic etiam Christum post baptismum tantum per duodecim menses docuisse afferabant, in testimonium aduocantes illud Prophetae; „*vocare annum Domini acceptum*“ (Esa. 61, 2.), itaque ex numero hoc mensium duodecadem illam aeonum extorquere volebant. Has opiniones Haereticorum Irenaeus in loco nostro refutaturus, ostendit primo, in tempore illo, quod baptismum et mortem Christi intercesserit, tria in Scripturis commemorari festa paschalia; manifeste igitur saltem tres annos indicari, in quibus doctoris munere functus sit; explicatoque Prophetae loco, annum indicare quodlibet tempus, demonstrat.

§. 4. Deinde vero docet; Christum vere triginta annos natum venisse ad baptismum, non vt Gnosticorum opiniones probaret, sed ideo, vt perfectum magistri aetatem habens Hierosolyma veniret, et iure meritoque appellaretur magister; Christum enim non visum esse aliud, aliud fuisse, mox vero sic pergit; „*Magister vero existens, magistri quoque habebat aetatem; non reprobans, nec super-grediens hominem, neque soluens legem in se humani generis, sed omnem aetatem sanctificans per illam, quae ad ipsum erat, similitudinem, omnes enim venit pro semet ipsum salvare: OMNES, inquam, QVI*

„PER EVM RENASCVNTVR IN DEVM, INFANTES, ET PARVULOS, ET PVEROS, ET IV-
 „VENES ET SENIORES. Ideo per omnem venit
 „aetatem, et infantibus infans factus est, sanctificans
 „infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc
 „ipsam habentes aetatem; simul et exemplum illis ef-
 „fecitus et iustitiae et subiectionis: in iuuenibus iu-
 „venis, exemplum iuuenibus fiens et sanctificans Do-
 „mino: Sic et senior in senioribus, ut sit perfectus
 „magister in omnibus, non solum secundum expositio-
 „nem veritatis, sed et secundum aetatem, sanctificans
 „simul et seniores, exemplum ipsis quoque fiens:
 „Deinde et usque ad mortem peruenit, ut sit primo-
 „genitus e mortuis, ipse primatum tenens in omni-
 „bus, princeps vitae, prior omnium et praecedens
 „omnes.“

§. 5. His ita positis porro obiicit Haereticis il-
 lis, eos figmenti sui causa de scripto illo Prophetae,
 omne Christi negotium soluere et quasi irritum fa-
 cere, cum ipsis negent, adimantque magis necessa-
 riā magisque venerabilem aetatem, profectiorem
 illam, in qua omnibus praefuerit docens; docet ita-
 que Noster; necesse esse, Christum, cum Apostolos
 habuerit, docuisse, ideoque magistri aetatem ha-
 buisse; Christum venisse ad baptismum nondum
 XXX. annos natum, sed sub initia anni trigesimi
 (ob Luc. 3, 23.) iuuenilem aetatem ab anno XXX.
 usque ad XL. extendi, hac aetate fuisse Dominum
 nostrum, cum doceret: Quam sibi propriam senten-
 tiā tum testimoniiis eorum probat, quos id ex ore
 Ioannis aliorumque Discipulorum Christi accepisse,
 dicit, ad quorum testimonia frequentissime prouo-
 care

care solet; tum loco Ioannis cap. 8, 56. 57. Natu-
rae nempe consentaneum ipsi videtur, ne, qui alium
mendacem demonstrare velit, annos multum ex-
tendat ultra eam aetatem, quam illum habere videt;
absconum et incongruum pronuntiat, viginti annos
mentiri, et sic concludit ex eo; Christum eo tem-
pore non multum abfuisse ab anno quinquagesimo.

§. 6. Hic est celeber ille locus, quem laudare
solent non sine magna veri specie ad confirman-
dum paedobaptismatis in Vet. Ecclesia usum et ap-
probationem, haec sunt cum eo coniuncta, haec ad
intelligendum locum pertinent. Facile vero quili-
bet intelliget; multis hic vera mixta esse falsis: non
quidem male monet; *Christum trigesimi anni tempus*
exspectasse, usque tum susciperet baptisma, quia hoc
ipso ac sermone Ioannis omnium oculi magis in eum
conuertebantur, ideoque eius doctrina aliquanto plus
auctoritatis inde nancisci poterat: eum eum contra non
decuisset, si puer adhuc voluisset prodire doctror populi:
recte etiam tradere videtur; *Christum propterea in-*
fantis naturam suscepisse, sensimque creuisse pro natu-
rae humanae modo, ne in se legem humano generi a
creatore datam solueret et respuere videretur: at mi-
noris momenti ac fidei esse et ingeniosa magis, quam
vera videtur illa infantiae seruatoris causa, quam di-
cit; *Christum ideo venisse et permeasse omnes humanae*
vitae aetates, ut omnes singulasque sanctificaret, hoc
est, ut ipsis aliquam adderet sanctitatem et dignita-
tem; non enim inde sumus sancti Deoque grati,
quod Christus nostrae naturae formam suscepit, non
inde aliquid praecipui accedit infantibus, quod ser-
vator noster voluit fieri infans, male alioquin actum
esset



esset cum grandaeuis illis, quos tamen ipse Deus honore dignos censuit, et in eo aliquod benignitatis suae testimonium posuit, si quis summum humanae vitae fastigium transcenderet, si horum aetati nulla eiusmodi sanctitas accessisset, non enim placuit Christo ad centesimum usque annum viuere, neque vero hac re aliquid praestantiae ipsis detrahitur; eo enim existimus sancti, siue pueri simus et infantes, siue senes, quod Christus nos redemit, sua obedientia, permissione et morte nos gratos et acceptos reddidit Deo, et obedientes Christi praecepsis piam probamque degimus vitam. Maxime autem in eo errat sine dubio Irenaeus, et, quantum possit praeconcepta opinio, quam sit difficile in refellendis aliis ipsum non transire iustos fines, quorsum nos possit deducere sententia, quae nobis arridet, manifesto est exemplo cum dicit; Christum non multum absuisse ab anno quinquagesimo cum moreretur, nullo enim modo hoc potest probari, et si in nulla alia re, certe in hac ipsi erit neganda fides, nullum enim aliud huius rei existat testimonium et Scripturae S. tantum absunt ut hoc probent, ut potius, Christum annum XL. certe non transgressum esse, non obscure indicent.

§. 7. At nunc non est nostri consilii has Ireneai opiniones refellere, sed quid posuerit, non quid ponere debuerit ex nostra sententia, videre et solum id disquirere constitutum est, quantum hic locus ad probandum paedobaptismum valeat. Facile autem quisque, neutri parti addicetus, ubi eum legit, videbit summam totius loci nullo modo baptismum aut infantes, multo minus paedobaptismum respirare, sed potius

potius omnem omnino aetatem, et hic potissimum
 id agi ab Irenaeo, ut ostendat; nullum esse aetatis
 discriumen, *omnem aetatem apud Deum esse parem et*
aequalem; nec Christum certo quodum tempore ad
 baptismum venisse, per certum temporis spatium
 docuisse propterea quod in hac aetate ac tempore
 praecipuum aliquid fuerit; Verum fere triginta an-
 norum eum suscepisse baptismum, quia, cum statim
 post baptismum, quo hominum oculi et animi tum
 propter testimonium diuinum coelitus super bapti-
 zato delatum, tum propter Ioannis praecorium in
 ipsum fuerant intenti, Hierosolymis magister pro-
 dire vellet, magistri aetatem exspectare debebat; et
 per tantum temporis post susceptum baptismum in hac
 terra vitam transegisse, quantum ad erudiendos dis-
 cipulos et perficiendum omne eius negotium requi-
 rebatur et sufficiebat; cuius negotii eam maxime
 partem hoc loco vrget, quae in eo fuit, ut *non so-
 lum Christi in docendo veritas, sed et aetas omnibus*
exemplo effet, omnes sanctificaret. Etenim non lo-
 quitur contra illos, qui in doctrina de baptismate
 dissidentiebant ab ipso, sed potius contra homines fal-
 sis opinionibus de mundo eiusque auctore imbutos,
 qui vt falsas de natura animorum et effectione
 mundi opiniones ex faciis litteris defenderent, ope-
 ram dabant, et, si nulla verba tropica, quibus eas
 ornare possent inueniebant, symbolicas historiae ex-
 plicationes singebant, aduersus hos igitur defendit
 Irenaeus; Christum eo, quod demum anno XXX.
 se baptizari voluerit, non indicasse triginta aeonum
 et ex Deo promanationum numerum, sed longe
 altam fuisse eius facti causam, et illum omnem
 omnino aetatem habere parem, omnem voluisse
 suo



suo exemplo erudire. Ad hoc igitur totius loci propositum et caput omnia, quantum fieri potest referenda videntur, ne aliena ab autoris consilio inferamus.

§. 8. Propter haec, quae diximus peccare videntur, qui verba illa; „*qui per eum renascuntur in Deum*“ de solis infantibus intelligunt, ideoque de paedobaptismo interpretantur, saltem de baptismō accipiunt, et inde necessitatem baptismatis infantibus conferendi efficere volunt. Argumentum vero, quo nituntur est, quod verba haec *nasci* et *renasci in Deum* apud Patres saepissime dicantur *de baptismo*: id quod negare non audemus, sed non semper hoc obtinet. Nam renasci non solum de baptismō dicitur, sed in vniuersum *de omni modo, quo nos mutamur in melius*, de ipsa adeo religionis verae susceptione. Nempe quot modis dici possumus liberi Dei esse et fieri, totidem modis etiam variari sine dubio potest vocabuli renasci significatio; iam vero liberi Dei sumus et appellamur in vniuersum, quatenus Deo sumus propter Christum grati et accepti. (Ioh. 3, 1.) et hoc in singulas quasi species diuiditur secundum eos modos et salutis adminicula, quae quaerere iubemur ut Deo placeamus, sic per virtutem et probitatem sumus et nos ostendimus liberos Dei (Matth. 5, 9. Luc. 6, 35. Phil. 2, 15.) porro fide dicimur fieri liberi Dei (Ioan. 11, 12. Gal. 3, 26.) atque amore Christianorum (1 Ioan. 2, 19.) atque ipsum regenerandi vocabulum vario modo usurpatum in scripturis, mox de vi verbi diuini in animos hominum (1 Petr. 1, 23.) mox etiam de baptismate, quatenus vim habet aliquam nos Deo acceptos

acceptos reddendi (Ioan. 3, 2. Tit. 3, 5.) occurrit; iam vero cum ecclesiae Patres soleant modos loquendi in scripturis obnios diligenter usurpare, et iam haec vox saepius occurrit, neque est quod negemus saepissime Patres ea vti de sacro baptismate, at contra etiam nobis concedatur, eam a patribus etiam ad caeteras ideas, quae ei voci in scripturis iunguntur, exprimendas adhiberi, quod quidem demonstrare non est difficile, in ipsis enim dogmaticis libris nostris translatam illam a patribus notio nem *regenerationis* inuenimus, quae non de solo baptismate dicitur, sed de eo modo in genere, quo *accipimus fidem et Deo probamur*, non igitur video, quid nos cogat, in Irenaei loco statim de baptismo cogitare, vbi vocabulum renasci offendimus, immo vero videtur hoc loco idem significare, quod *sanctificari*, quo vocabulo modo fuerat usus, (neque infrequens est apud Patres horum verborum permutatio ut adeo etiam sanctificari de sacro fonte dicitur; *Gregorius* quidem *Nazianzenus* or. XL. animos et corpora per magni baptismi sacramentum sanctificari, dicit) ut igitur haec sit orationis series; *Christus ideo venit in terras, ut per semet ipsum omnes cuiuslibet demum aetatis fuerint, saluaret, iis felicitatem ac benevolentiam Dei amissam redderet, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, qui se sunt, per eum sanctificari, non reiciunt eius meritum, sed per eum grati et accepti Deo sunt filii, eiusque exemplum, quo illis in qualibet aetate praeaverat, secuti Deo probantur, sive illi sint infantes, sive parvuli, sive pueri, sive iuvenes, sive denique seniores.* Et hoc modo, quo verbum renasci explicauimus, vtique dici possunt infantes christianis parenti-

rentibus nati et natalium conditione quasi inditi eccl^{esi}aie „renati et sanctificati“, vt ipse Paulus liberos nondum baptizatos christiano tamen parente natos, appellare *αγιος* non dubitauit, Hoc igitur modo non opus videtur illud renasci in Deum, de baptismo explicare, vt etiam infantibus conveniat.

§. 9. Immo potius, quo melius cum totius sermonis serie congruat, qui de omni omnino aetate agit, necesse fere videtur, ea verba sic explicare, vt senioribus aequae ac infantibus sint apta; sumamus itaque *remoueri dubitationem*, quasi haec scripturo in mentem venerit, *non omnes re ipsa salvari*, sententiamque accurate definiturus addiderit; *qui per eum renascuntur in Deum*, quod autem nihil aliud sibi velit quam; *quicunque quantum in ipsis est, irritam non reddunt satisfactionem Deo per Christum praefitam*, qui se sanctificari et emendari patiuntur, vel qui religionem christianam agnoscunt, *ad Ecclesiam Christi pertinent*, hoc omnibus conuenit. Non solum iuvenes et seniores iam baptizati pertinent ad Ecclesiam, sed etiam pueri, infantes adeo a christianis parentibus oriundi; liberos vero Christianorum nondum baptizatos pertinere ad Ecclesiam Christi h. e. participes esse bonorum a Christo partorum patere non solum videtur ex Paulo, qui illos *αγιος* appellat, (1 Corinth. 7, 14.) atque eum loqui de infantibus nondum baptizatis ipsa loci natura satis clare indicat, dicit enim de eiusmodi infantibus, qui tantum uno parente christiano, altero pagano nati fuerint, haud vero credibile est, eos in infantia potuisse baptizari, cum parentus

ganus pater haud id permisisset, et quia ipse falsam crederet religionem christianam, et religio pagana tum principatum in omni terrarum orbe teneret, ideoque ex eo ad infantem plura commoda possent redundare; sed tamen non erat vero absimile, per curiam christiani parentis et sermones liberos accepturos esse christianismi cognitionem, ad eam religionem magis proclives futuros, et eius praestantia commotos progrediente tempore ipsos sponte eam esse suscepuros, et hoc modo maius et certius ius iam habebant ad bona Christianismi; atque hac re vt et propter christiani parentis pietatem, quam Deus etiam in liberis remunerare et praemiis ornare promisit, Deo erant accepti, ideoque non incommodo poterant filii Dei et *αγιοι* appellari: sed Christianorum infantes etiam ante baptismum iam pertinere ad Ecclesiam, demonstrari etiam posse videatur ex communī illa sententia, quae infantes ante baptismum mortuos non condemnat, sed non minus saluos pronunciat, quam alios homines, postquam sacro fonte tincti fuerant, in Ecclesia mortuos.

§. 10. Sed ne in hoc nimis severi videamur aliquantis per concedamus, renasci h. l. vt alias saepissime vtique dici de baptismō, tamen ne sic quidem ex hoc loco demonstrari poterit, baptismū infantum in vniuersum hoc loco praecipi aut probari: Illud enim mihi firmum et certum manere videtur, haec verba ob totius sermonis consilium et summam non ad infantes solos, sed ad omnes omnis aetatis homines esse referenda, ideoque eodem modo, quo illa verba de infantibus dicuntur, de senioribus dici; vt totus locus hunc praebeat sensum; *Christum omnes*

b

homines





homines saluasse, quacunque tandem aetate sint, dummodo Christianam religionem receperint ante mortem, dummodo baptizati moriantur; si vero haec esset vera explicatio, Irenaeus hic nullo quidem modo baptismum infantum in uniuersum, tamen in mortis periculo probare videretur, et Christianos admonere, ne forte morem Ecclesiae fecuti, quae potissimum festo paschatis baptizare consueverat, infantes sacro fonte non initiatos mori paterentur.

§. II. Etiam si vero hanc explicationem quodam modo concessimus, tamen neutquam verosimilis videtur; sic enim illa dubitationis solutio, quam in illo additamento latere arbitramur, loco huic non iesit, non enim omnes salvi sunt, qui baptizantur, neque salvare h. l. de redēptione intelligi potest, cum Christus non solos eos, qui baptizantur, sed eos etiam, qui non baptizantur, qui adeo Christianam religionem nunquam cognouere, redemerit; propterea que non video, cur Irenaeus illa verba adiecerit. Quocunque igitur modo interpreteris illud *saluare*, quod Christo in loco nostro tribuitur, nulla certe ratione renasci poterit de baptinate accipi, si quidem Irenaeo plane falsam sententiam afflingere dubitamus, est enim ex omni linguae sanctae vsu duplex tantum seruandi significatus: aut enim significat *uniuersalem Dei erga huminum genus gratiam Christi redēptione exhibtam*, Θεος πάντας αὐθεωπτες θελει σωθηναι δια τα Χριστα Ιησους, τα δοντας εαυτον αντιλαμπειν υπερ παντων (1 Tim. 2, 4. 6.); at quomodo cum hoc significatu conueniat baptismi illa mentio! Deus omnes in uniuersum vult seruatos, unde igitur illa exceptio; *omnes*,
qui

qui renascuntur in Deum? hoc nullo pacto locum
habere posse videtur: aut seruare significat eam,
quam vulgo applicationem gratiae in scholis appellare
consuuiimus, qua Deus illis, qui praeceptis christia-
nis se accommodant, iisque conuenienter viuunt
propter Christum largitur et tribuit bona promissa
atque felicitatem, ut σωθῆναι Act. 2, 40. et c. 14, 9.
dicitur secundum illud Christi; ἐτο ηγαπησεν ὁ
Θεος τον κοσμον, αἵτε τον ονον ἀντε τον μονογενη
ζδωνεν, ινε πας ὁ πιστων εἰς ἀυτον, μη ἀποληται,
αλλ ἐχῃ ζωην αἰώνιον, sed nec huic significatiui
satis conuenit illud additamentum; qui noscuntur in
Deum, si accipiatur de baptismate, certe enim solus
baptismus nullo modo benevolentiam Dei et felici-
tatem nobis comparat. Non igitur potest illa ra-
tione renasci in Deum commode de baptismate in-
telligi, hinc acceperim saluari in priori membro, de
uniuersali Dei gratia; Christus venit omnes per se-
met ipsum salvare, quod est verissimum, in poste-
riori autem membro, vbi sub audiendum est, de sal-
uistica gratiae applicatione; omnes accipiunt hanc a
Christi partam salutem, qui nempe renascuntur in
Deum, et hoc etiam est verissimum (quae parano-
miasia vocabuli ambigui haud rara est in ipsis litteris
sacris, atque etiam in profanis scriptoribus) at re-
nasci accipiatur, necesse est, sensu illo scripturis S.
frequentissimo de mutatione animi, cogitationum,
totiusque vitae, vt hic loci nostri sensus commodissi-
mus prodeat; Jesus Christus venit in mundum, et
omnes aetates pereucurrit, ut ostenderet, nulli aetati
praecepit aliquid esse tribuendum, et se sanctificasse
omnes homines cuiuscunque aetatis, se omnes saluasse
et omnes hos etiam fieri saluos, et futuram salutem ac-
cipere,



cipere, dummodo id agant, ut per fidem in J. C. Deo probentur et animum sibi comparent integrum vitae sclerisque purum; neque ullo modo, quantum in ipsis est, gratiam Dei per Christum oblatam respuant et irritam reddant.

§. 12. Porro, quominus hoc loco paedobaptismum commendari aut de eo sermonem esse credamus, et hoc impedit, quod Irenaeus, quas modo nominauerat omnes aetates, mox singulas recenset et de singulis similiter dicit; *Christum omnes eius aetatis homines sanctificasse*, de parvulis caeterisque, qui exemplo vti possunt, adiicit etiam; *Christum illis exemplum praeiuisse, quod in modo se gerendi, sequi debeant*: Hoc itaque potissimum loco, vbi de singulis admonebat, moneri etiam illud debuisse videtur, quod ad solos infantes pertinebat, siquidem eius fuisse consilium, hac occasione Christianis commendare infantum baptismata tunc temporis certe nondum valde et ubique visitatum; sed, quo loco verba ea posuit, sic posita videntur ut ad omnes pertineant. Tandem vero accedit, Irenaeum si h. l. de paedobaptismo loqueretur, rem videri tractare, quae ipsius seculo ignota esset, nemo certe Irenaeo aquallum quandam baptismi infantum facit mentionem, imo vero omnia, quae illi de ritibus baptismi narrant, in infantes non cadunt: Si vero Irenaeo hoc dogma notum fuit, si adeo probauit et necessarium putauit, mirum sane esset, si nemo aliis, neque ipse Irenaeus alio loco huius dogmatis, oerte grauissimi, meminisset: cum potius omnia eius aetatis Patrum testimonia illi sententiae sint adversaria, vim quasi facere Irenaco forte videremur, si ipsi hoc dogma obtru-

obtruderemus. Namque si omnes Patres ante Sec. III perlungamus, ne vnum quidem inuenimus exemplum infantis baptizati commemoratum: *Tertullianus*, qui circa initium Sec. III scripsit, primus est, qui aliquam paedobaptismatis faciat mentionem (vnde *Antonius van Dalen* in historia baptismorum coniicit, eius tempore sensim iustroduci coepisse paedobaptisma) sed ille ipse etiam primus est, qui valde inuehatur in illum ritum; „norint petere, dicit, salutem, ut petenti dedisse videaris:“ senioris autem baptismatis quam plurima sunt exempla, veluti *Augustini* anno aetatis XXX, *Gregorii Nazianzeni*, parentibus christianis, ipsoque Episcopo patre nati, anno aetatis XX baptizati, aliorumque. *Gregorius Nazianzenus*, (certe orthodoxus, quod in Tertulliano desiderari solet) non vult infantes ante annum tertium, quo iam possint aliquid mystici intelligere, baptizari, summa tamen necessitate urgenter concedit, hac addita ratione; „praefat absque sensu sanctificari, quam sine sigillo et initiatione abscedere:“ vixit autem hic Sec. IV. Atque reperimus moris fuisse in Veteri Ecclesia ut baptizandi recitarent precess, ac baptizati statim participes fierent S. Coenae, vtrunque vero infantibus non conuenit, licet sequentibus temporibus aliquem in infante fuisse abusum S. Coenae legere meminimus.

§. 13. Ex his, quae hactenus disputauimus, patet, in hoc Irenaei loco, quem tractauimus, tam firmum paedobaptismi argumentum hanc esse, quam plerique vulgo credunt, qui propemodum absolutam eius necessitatem ex hoc loco defendi posse contendunt; sed hic aut plane non doceri paedobaptismum,
aut,

AKT III, 1370

22




aut, si adeo largiamur, sermonem esse de baptisma-
te, sane nihil aliud elici posse, quam, non prohibi-
tum esse paedobaptismum, saltem ex Irenaei sen-
tentia; sed posse eum concedi v. c. necessitate vr-
gente, aut alia de causa. At, necessario infantes
Christianorum debere baptizari, nemo mihi ex hoc
loco probauerit: Vero tamen simillimum videtur,
Irenaeum hoc loco plane non loqui de paedobapti-
smo, sed potius de opere illo Dei, quo nos pro sua
benignitate aptos reddit partae per Christum saluti
consequendae, et nos propter Christi meritum di-
gnos iudicat suis bonis, sua benignitate et appro-
batione.



X 309 5302

VD 18

Farbkarte #13



B.I.G.

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

S C H E D I A S M A

D E

T E S T I M O N I O P R O P A E D O -
B A P T I S M A T E .

Q V O

N E R A N D O P A T R V O

V I R O

V E N E R A B I L I , E X C E L L E N T I S S I M O

S T O F R I D E R I C O
W E R N S D O R F I O

D O C T O R I E I V S Q V E I N A C A D E M I A
G E N S I P R O F E S S O R I O R D I N A R I O
E L E C T O R A L I V M E P H O R O ,
O L O G O R V M S E N I O R I E T h. t.
D E C A N O .

T I A S A V S P I C A T I S S I M A S

C V M
O B I L I S S I M A V I R G I N E

E L E O N O R A E L I S A B E T H A
D E N I T S H .

II. F E B R V A R I I A. C I C I C C I L X X X .

I S D. G O T T L I B. W E R N S D O R F I I
N O M I N E E T S V O

P I E G R A T V L A T V R

N V S F R I D E R I C V S W E R N S D O R F

L I P S I A E
O F F I C I N A I A C O B E E R I A

